



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsque Signatvræ Referendarii
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,
omnibusque conscientiæ nodis**

Bonacina, Martino

Coloniæ Agrippinæ

Officii recitationis fructus & effectus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41152

72. Consuetudine immemorabili induci potest, ut Canonici qui habent tenues redditus, non teneantur singulis diebus choro interesse. *ibid. num. 14.*

73. In privata oratione non committitur peccatum, per se loquendo, dum recitans officium sedet, dum standum, vel genuflectendum est; in publica tamen oratione facilius inveniri potest culpa stando vel sedendo dum genuflectendum est. *ibid. punct. 6. nu. 1 & 2.*

74. Canonici cogi possunt ad recitandum officium in proprio altari, & cum decenti habitu sub pœna amissionis distributionum. *ibid. n. 3.*

Fructus & effectus recitationis officii.

75. Ut officium nomine Ecclesiæ recitetur, opus est, ut verba proferantur cum intentione & attentione, atque ut recitans non sit evitandus; ut autem officium nomine proprio celebratum prosit ipsi recitanti quoad satisfactionem & meritum, vel etiam quoad satisfactionem aliis, opus est ut in statu gratiæ recitetur, cum oratio facta in peccato prosit tantummodo si spectetur quatenus nomine Ecclesiæ offertur, Ecclesia supplente tunc defectum recitantis; & licet oratio peccatoris non sit meritoria de condigno, neque satisfactoria, tamen est impetratoria, quia Deus peccatores aliquando exaudit, & plurima bona confert, ut patet in Publicano. *ibid. quest. 4. punct. 1. num. 2. & seq.*

76. Recitatio divini officii quoad fructum infinita est extensive, prodestque omnibus fidelibus, si fiat ab eo qui ex Ecclesiæ præcepto vel consuetudine divinum officium recitare debet; quod si divinum officium ex mera recitantis voluntate recitetur tamquam à persona privata, prodesse solum videtur ipsi recitanti, & iis quibus ipse officii fructum applicare intendit, instar aliarum precum quæ ex privata devotione funduntur. Dicendum ergo officium prodesse omnibus, si recitans pro omnibus orare intendat, modo illi pro quibus orat, nondum sint in termino, ut sunt beati, sed illum assequi possint, ut sunt fideles viatores, quod facere non possunt damnati & reprobis. *ibid. punct. 2. num. 2. & seq.*

77. Recitatio divini officii non prodest ex opere operato, sed operantis, quia non prodest ultra meritum Ecclesiæ cuius nomine offertur. *ibid. num. 11.*

Præ-